

prodigium: Neque enim idem ac constans omnium de hoc est iudicium. *Adrichomius in suo Terra Sancta Theatro* locum in Tribu Benjamin non procul a mari mortuo signat: *Hic, inquit, Christus baptizatus est; qui locus ruinoso edificio nunc insignis est; atque ibidem peregrini in memoriam baptismi Filii DEI sese abluere solent, cum oratione ad DEUM; ut pro sua ille misericordia, & Christi meritis peccatorum sordes abluat &c.* Quem Æthiopibus haut inusitatum quoque morem egregie describit *Magnus Scaliger l. 7. de emend. tit. de computo Æthiopum; Quotannis, inquit, die epiphaniarum omnes in piscinas sese immergunt, memoriam baptismi Christi eo facto se instaurare dicentes.* *Cl. Bochartus part. 1. phaleg. c. 7. §. 30.* opinatur baptismi locum distare duabus Gallorum leucis Jerichunte: *Ex Jericho, ait, duabus leucis extat capella D. Baptiste dicata, ubi creditur Salvator fuisse baptizatus &c.* Eodem loco ipse fatetur, nonnullos fuisse arbitratos Dominum baptizatum esse juxta Salim; sed Ecclesiæ solennitatem opinioni repugnare.

§. 2. Venerabilis *Beda l. de locis sanctis c. 14.* locum baptismi hunc in modum describit: *In loco, in quo Dominus est baptizatus, crux lignea est usque ad collum alta; que aliquoties aqua transcendente absconditur. A quo loco ripa ulteriori i. e. Orientalis jactu fundæ est; Superior vero ripa, in supercilio monticuli grande monasterium gestat, B. Job. Baptiste Ecclesia clarum; de quo per pontem arcubus suffultum solent ascendere ad illam crucem ac orare. In extrema fluminis parte quadrata Ecclesia quatuor lapideis cancris superposita est. coctili creta desuper, tecta, ubi vestimenta Domini, cum baptizaretur, servata esse dicuntur &c.* *D. Gregorius Turonensis* clarius delineaturus dictum baptismatis locum, in *l. de gloria Martyrum c. 17.* ita commentatur: *Habetur in Jordane locus, in quo Dominus baptizatus est. In uno enim reflexu aqua ipsa revolvitur,*

tur,